Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



in hoc itinere securi ut non tam in uia quam in patria esse uideantur. et non tam uoluntarii quam inuiti eunt ad patriam nimirum iam perditam. Hic enim in uia perusi sunt patriam et debre ui uita mortem necati sunt. Aliena caduca dilexerunt. et propria eterna neglexerunt. Qua propter quamuis sint leta quamuis blanda. quamuis sint speciosa aliena terrena deuitemus ut propria eterna non perdamus. fideles in alienis inueniamur ut propriis ac nostris heredes efficiamur. donante domino nostro ihesu xpo qui uiuit et regnat in secula seculorum amen.

Preceptaque dedit pinusius fratribus suis.

Nosti ait quod diebus pro foribus excubans hodie sis receptus cuius difficultatem et causam primitus debes agnoscere. poterit enim tibi in hac uita quam ingredi concupiscis multum conferre. si racione eius agnita ad seruicium xpi consequenter ac sic oportet accesseris. Sic namque in mensa gloria fideliter seruientibus domino ac secundum institutionis huius regulam ei. choerentibus repromittitur in futurum. ita pene grauissime preparantur his qui tepide negligenterque fuerint exsecuti. et secundum hoc quod professi sunt uel quod ab hominibus esse creduntur. fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius enim enim secundum scripture sententiam non uouere quemquam quam uouere et non reddere. Et maledictus qui facit opus domini negligenter. Et domino igitur a nobis diutissime refutatus es non quia uel omnium salutem. toto desiderio cupiamus amplecti. et his qui ad xpm conuerti cupiunt etiam procul occurrere non optemus. sed ne temere recipientes et nos apud dominum leuitatis et te reum grauioris